

dit tria vini dolia, quorum duo de anno prædicto erant, et aliud præcedentis anni. DAVID hoc ultimum eligit. Tacet IRENEUS, et vinum istud minoris valoris ipsi tradit, quia, omnibus probatis, illud elegit. DAVID igitur numerat pecuniam pro alio vino promissam.

2° DELPHINUS emit vaccam quam foetam existimat, et quæ talis non est. Emit pannum quod bonum apparet, sed quod combustum est. Emit equum, qui die sequenti ex vitio intrinseco perit.

3° HONORIUS, accepta hæreditate, inter res a testatore relictas annulum invenit, lapide, quem cristallinum reputat, exornatum. Illum mediocri pretio vendit PAULINO, qui et ipse putat talem esse ejus valorem. Sed postea aliquis peritus detegit esse lapidem adamantinum, et notabili pretio illum emit.

HINC :

QUÆR. 1° An IRENEUS ad restitutionem teneatur?

2° Quid, si quis emisset vinum Burgundinum pro vino Burdigalensi?

3° An DELPHINUS valide contraxerit in prædictis casibus?

4° Quid de validitate contractus in tertio casu? Vel cui restituendum?

SOLUTIO :

779. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Contractus quoad substantiam valet, quia error est tantum accidentalis. Attamen IRENEUS tenetur ad restitutionem pro rata excessus pretii vini melioris, si revera illud, quod tradidit, tanti vendat quanti illud vendidisset.

780. — R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Per se error esset tantum accidentalis, ut in casu præcedenti. Valeret igitur contractus cum obligatione tamen damnum resarciendi si vinum emptum sit valoris inferioris, ut modo dictum est. Dixi per se, quia non valeret contractus, si emptor motivo speciali duceretur ad tale vinum emendum, v. g. pro remedio vel pro alio fine ad quem aliud vinum non conducere. Reuter, n. 114.

781. — R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. 1° Valet emptio vaccæ, quia in casu nihil de foetu stipulatum fuit. Venditor igitur emptorem non decepit. Quid vero si asseruisset vaccam foetam esse? Error esse accidentalis, saltem generatim; quare satis esset pro rata damni restituere. Secus tamen, si emptor significasset se velle vaccam foetam ad lac habendum, et vacca ista lacte careret.

2° Quoad pannum, error substantialis est, adeoque invalidus contractus, et damnum adæquate resarciendum.

3° Quoad equum, error quoque substantialis est, quia tempore venditionis equus nullius valoris erat. Proinde venditor ex integro pretium restituere debet.

782. — R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Error substantialis in annuli venditione datur, licet venditor et emptor bona fide fuerint, et rem pretio multo minori valere existimaverint. Plures et gravissimi Theologi dicunt valere con-

tractum, licet error sit notabilis in pretio rei extraordinariæ; sed hic error circa rei substantiam versatur, siquidem vitreum reputatur id quod reapse adamantinum est.

## CASUS IX.

### DOLUS IN CONTRACTU.

1° VINCENTIUS cupiens domum suam summo pretio LEONI vicino suo vendere, simulat se de hujus domus venditione agere cum URSINO, homine iracundo, rixoso, et ab omnibus vicinis reformidando. Tunc LEO festinat ei pretium requisitum offerre, ne vicinum adeo ingratum sortiatur.

2° NARCISSUS a GORDIANO pecuniam mutuo acceperat, cum pacto de fenore legali quotannis solvendo. Anno elapso, NARCISSUS, censum annum retribuendo, dicit GORDIANO: « Nolo ego in posterum tibi concedere, nisi quatuor pro centenis singulis; quod si nolis, totam pecuniam tuam tibi restituam. » Porro non erat ille sic peracturus; pecunia enim indigebat. GORDIANUS, ad dolum non advertens, consensum præstat.

HINC :

QUÆR. 1° An sit validus contractus in primo casu? et an VINCENTIUS aliquid emptori restituere debeat?

2° An NARCISSUS, in secundo casu, teneatur solvere fenus, ut antea solvebat?

SOLUTIO :

783. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. 1° Contractus videtur validus quoad substantiam, si LEO libenter quidem domum acquirat, utpote sibi vere utilem; licet enim eam, secluso dolo, non emisset, non tamen censetur proprie invitus. Attamen in hoc casu, saltem quoad summum domus pretium, decipitur emptor; proinde pro illo pretii excessu saltem jus ad compensationem habet.

2° Contractus habendus est ut invalidus, si domus ementi sit parum utilis, ita ut valde ægre, seu cum magna voluntatis repugnantia eam emerit, et unice quidem ad vicinum adeo invisum a se removendum, quia tunc consensus est omnino erroneus, seu error aut dolus est vere causa movens contractus.

784. — R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Distinguendum est. 1° NARCISSUS non facit injuriam GORDIANO, nec proinde tenetur solvere quinque pro centum in posterum, si habeat pecuniam vel habere possit ut sortem refundat; quia reapse cedit de jure suo sortem refundendi, eaque refusa, GORDIANUS forte non plus accipiet.

2° Si vero NARCISSUS pecuniam non habeat, nec habere possit, mentitur et injuriam facit, ac proinde ad restitutionem tenetur, quia de potestate refundendi non cedit, cum potestate illa careat; proinde jus imminuendi pensionem non habet, et stare contractui tenetur. Nec dicas intervenire dolum in primo casu, æque ac in secundo: nam in primo



casu dolus non est injustus, cum NARCISSUS jus habeat contractum rescindendi; secus vero in secundo casu. *Reuter*, n. 122. — *Lacroix*, n. 635 et 1018.

## CASUS X.

## METUS IN CONTRACTU.

1° NICETAS metu gravi adigitur ad aliquod donum ALIPIO, cognato suo, erogandum, et ad agrum DRUSILLO, vicino suo, vendendum.

2° SIDONIUS vicinum habet improbum, a quo mala gravissima reformidat; minas enim mortis et incendii pluries repetitas in mediis querelis ab ipso audivit. Ut illum ad discedendum cogeret, ejus domum summo pretio emit.

HINC :

QUÆR. 1° *An contractus ex metu gravi initus sit validus? Et quid de utroque contractu in primo casu proposito?*

2° *An valeat contractus emptionis domus in secundo casu?*

SOLUTIO :

785. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Contractus *gratuitus* ex metu gravi initus est certo *invalidus*, quia, stante metu gravi, deficit spontaneitas, quæ ad gratuitam donationem omnino requiritur.

2° Quoad contractum *onerosum*, *controvertitur* : probabiliter etiam est *invalidus*, quia jus ab injustitia oriri nequit. Attamen Doctores *communius affirmant* validum esse, quia ille qui metum patitur, vult absolute contrahere; sed dicunt, talem contractum rescindibilem esse ad nutum illius qui metum passus est : quare, practice loquendo, parum differunt ambæ sententiæ. Hinc donatio NICETÆ corrui, et venditio agri probabiliter non valet. *V. Comp. n. 781.*

786. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Controvertitur* : emptio domus a SIDONIO peracta non videtur valere, quia, licet metus non fuerit incussus in ordine ad contrahendum, contractus tamen non fit nisi ad propulsandam injustam vexationem ex parte alterius contrahentis. Secus esset dicendum, si metus ille ab alio tertio proveniret. *V. Comp. n. 783. — Reuter, n. 127.*

## CASUS XI.

## CONDITIO IN CONTRACTU.

FRIDERICUS, homo dives, sed improles, jamjam moriturus, sequentia constituit legata : 1° dedit ROSÆ, puellæ tenuis conditionis, 1,000 nummos, si nubat; 2° dedit ROSALLÆ, filiæ spirituali, seu a Baptismo, 100 aureos, si Religionem ingrediatur; 3° dedit ROSINÆ, famulæ suæ, 300 scuta, si apud CATHARINAM, uxorem suam, maneat. Sed, mortuo legatore, ROSA Monialis fieri cupit, ROSALIA nuptias ambit, et CATHARINA, Uxor, in monasterio se includit ubi ROSINA, famula, illi servire non potest.

HINC :

QUÆR. 1° *An ROSA legatum servare possit, licet conditionem non adimpleverit?*

2° *An ROSALIA jus ad legatum habeat?*

3° *An ROSINÆ legatum competat, licet dominæ non adhæreat, cum ipsi inservire nequeat?*

SOLUTIO :

787. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* ROSA jus habet ad legatum, quia testator evidenter ei favere voluit, ut statum honestum amplecteretur, et e periculis corporis et animæ eriperetur. Insuper status religiosus est vere connubium spirituale, et si a testatore excluderetur, esset conditio turpis, quæ pro non adjecta censeretur. Quare legans præsumitur voluisse ROSÆ succurrere: ut honeste nubere posset, si vellet, aut alium statum honestum eligere ac servare. Attamen attende ad circumstantias. Etenim, si testator dixerit : « Lego ROSÆ mille aureos, si PETRO consanguineo meo nupserit, » corrui dispositio, nisi illi nubat, quia legans voluit favere non soli ROSÆ, sed etiam consanguineo suo PETRO. *S. Lig. n. 930. — Reuter, n. 131. — Comp. n. 830.*

788. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* ROSALLÆ quoque legatum debetur, quia ex circumstantiis etiam præsumi potest testatorem voluisse ei speciali modo favere, cum in ejus Baptismo patrinus fuerit; nec censetur intendisse eam legato destituere, si ad Religionem se vocatam non sentiat.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Quid de ROSINA famula? Etiam ipsi indulgendum videtur, quia per ipsam non stetit quominus apud CATHARINAM non maneret. Etenim testator voluit prospicere tum uxori, disponendo ut famula fidelis eam soletur eique inserviat, tum ipsi famulæ, quæ sibi non medio-criter satisfacit, cum exoptat eam suæ conjugii adhærere. Ergo etiam ROSINÆ concedendum est legatum.

## CASUS XII.

## CASUS IMPROVISUS DUPLEX.

1° URBANUS JULIANO, messori : « Vis, inquit, agrum meum metere crastina die? — Esto, » reponit iste. — Hinc de justo pretio paciscuntur. JULIANUS vero, qua de causa nescio, rem in diem alteram protrahit. Verum, o casum infelicissimum! cum messor ad opus se accingeret, ecce horribilis grando imminet, instat, messem invadit, integramque vastat. Inde iræ URBANI, damni reparationem exposcentis, atque inde tibi solvendus casus.

2° MARINUS, sutoris famulus, homo quidem bonus, sed pecunia destitutus, cum veste indigeret, nec in præsentibus ejus pretium solvere posset, patronum ROGERIUM rogat ut pro se apud ACHILLEM, sartorem, sponsor esse velit. Libenter annuit ille, ea tamen lege ut vestis famulo conveniret. Mox conficitur prædicta vestis. Verum, cum primum vestis a sartore affertur, non satis probatur. De corrigendis defectibus quibusdam mutuo



consensu statuitur. Paucis post diebus, redit sartor denuo vestem defrens. Sed heu! o casum inexpectatum! MARINUS, repentina morte correptus, jam sepulcro condebatur. Hinc lis oritur inter ACHILLEM et ROGERIUM. « Solve vestis pretium, clamat prior. — Probes eam homini convenire, inquit reboando posterior. — Sed sepultus est. — Quid ad me? » — Suadent adstantes, ut lis ad judicem deferatur.

HINC :

QUÆR. 1° *Quis damnum subiturus in primo casu?*

2° *Quis jacturam feret in secundo casu?*

SOLUTIO :

789. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* JULIANUS, messor, per se non tenetur damnum reparare, saltem ante judicis sententiam, quia mora quam attulit brevior est, ut ad culpam gravem imputetur. In contractibus enim hujusmodi tempus moraliter, non vero physice accipiendum est. Hinc applicandum est axioma : *Parum pro nihilo reputatur.* Casus igitur hujus damni, ut *extraordinarius* et omnino *fortuitus* habendus est. Secus autem dicendum esset, si in conventionem dies ita fuisset affixa ut nulla mora intercedere posset, scilicet : Vel operam crastina die præstes, vel alium conducam; tunc enim messor moram etiam minimam protrahens, rei periculum in se suscipit. Excipiendus etiam est casus in quo tempestas prævideri facile potuisset, v. g. si tempus procellosum esset. Si vero judicis sententia intervenerit, JULIANUS totum damnum resarcire debet, cum saltem culpam juridicam admiserit.

790. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Qualis sententia a iudice ferenda, saltem in tribunali conscientie, primo aspectu non satis liquet. Re tamen sedulius pensata, jus sartori tribuendum videtur, et proinde sutor ad pretium vestis solvendum damnandus. Etenim conditio inter contrahentes appositam omnino accidentaliter apparet, scilicet, famuli patronus pro eo simpliciter spondet, sed ea tamen conditione ut non sit pretium vestis solviturus, nisi quando eam rite confectam esse constabit. Postquam autem jam semel probata fuerit, præsumendum minime est eam secunda vice convenientem non esse futuram; judicandum enim est ex ordinariè contingentibus. Quod si in aliquo adhuc deficeret, ageretur de levi defectu, qui causam justam solutionem denegandi non tribueret; *parum enim pro nihilo reputandum est.* Insuper, stante casu, si patronus non spondisset pro famulo, certo hujus hæredes vestem solvere tenerentur; ergo etiam ipse patronus, cautio factus, solvere debet, servato tamen in hæredes recursu.

### CASUS XIII.

#### MODUS VINUM MELIORANDI.

PUBLIUS, caupo, suis hospitibus vinum satis generosum apposuit. Attamen ipsis minime placuit, ex eo quod asperum nimis et rigidum visum fuerit. Hinc aliud vinum melius postularunt. Quid consilii PUBLIUS capesset? Meliori vino prorsus destituitur; sed mirum et facilem modum

excogitat vinum suum meliorandi, ita ut honori simul et commodo suo prospiciat. Ecce, disce secretum : PUBLIUS extemplo hospitibus promisit, se mox aliud vinum quod melius saperet allaturum esse. Itaque in cellam vinariam revertitur, eidem vino aquam infundit, sicque satis aqua dilutum, bibulis apposuit, et aucto quidem pretio, ne illi crederent hoc esse deterius vino prius allato. Hospites, rei prorsus ignari, libenter vinum acceptantes, cum gustu biberunt, et pretium adauctum solverunt.

HINC :

QUÆR. 1° *An PUBLIUS contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur?*

2° *Quid, si novum pretium non excedat adhuc illud rei pretium quod summum dicitur?*

3° *Quid dicendum de illis qui ex more vinum aqua diluunt, sive ministrandum sit hospitibus, sive magna quantitate aliis vendendum?*

SOLUTIO :

791. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Quid dicam de PUBLIO? An exquisita ejus industria mihi probanda erit? Minime gentium : nam fraudem et fallaciam sapit, ut nemo non videt. Omnes igitur unanimi ore eum arguent de injustitia gravi vel levi, juxta deceptionis proportionem, seu pro quantitate vini ab hospitibus consumpti et pretii excessu. Audiat effatum : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Quare enim modum hunc mirum meliorandi vinum bibulos ipsos non edocuit? Si id rescirent, quibusnam verbis hominem compellarent? Numquid numerosiores in suum hospitium confluerent? Attamen, si semel aut raro industria ista usus fuerit, et exiguum vini quantitatem ministraverit, veniam facilem a me consequetur. Secus vero ab onere restitutionis, saltem pauperibus faciendæ, si aliter fieri nequeat, immunis minime evadet.

792. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Si pretium quod ab hospitibus exigitur summum vini pretium non superet, facile PUBLIUS a peccato et ab onere restitutionis absolvendus est, quia tunc fraus vel nulla vel admodum exigua intervenit. Præterea caupo noster supponitur id fecisse ob justam causam, seu ad honorem suum, necnon ad hospitum concursum servandum. Ob similes autem rationes permitti potest ut merces aliquo modo mixtæ aut minoris valoris effectæ vendantur, modo deceptio illa non sit æquo gravior. Excipe tamen, nisi vini pretium fuerit a magistratu taxatum, quia cauponi tunc non esset licitum pretium illud excedere; porro excederetur, si aqua dilutum eodem modo venderetur. *Elbel, de Restit., n. 164.*

793. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1° Quoad vinum bibulis ministrandum, casus jam ex dictis resolvitur. Attamen sine speciali causa communiter permittendum non est cauponibus ut vinum aqua mixtum summo pretio vendant, quia hospites, fraudem ignorantes, injuste coguntur ad pretium illud summum tribuendum.

2° Si vero vinum in magna quantitate vendatur, ita ut brevi tempore



non sit bibendum, gravissimæ injustitiæ evadunt rei mercatores illud notabili aqua diluentes, licet pretium justum non excedant, quia vinum illud facilius acescit et deterius evadit. *V. Comp. n. 896.*

## CASUS XIV.

## EVISGERATUS CANIS!

FULGENTIUS mille francos, ratione mutui, DRUSILLO tradiderat. Elapso mutui tempore, DRUSILLUS debitum soluturus, domum FULGENTII petit. Hunc cum familia, prandendi gratia, mensæ accumbentem reperit. Comiter exceptus et rogatus, cum accumbentibus et ipse discumbit. Syngrapham mille francorum referentem in mensa reponit, minime suspicans id quod adeo infeliciter eventurum erat. Dum convivæ congaudent, ecce, aperta fenestra, repentinus venti turbo syngrapham sublevans, in jurulentum pulmentum projicit. Hanc ocius extrahit FULGENTIUS, extremoque angulo apprehensam, tenet pendulam extra mensam, ut juris guttulæ diffluant. Sed, heu! hic adstabat ejus canis, qui jurulentam et pinguem schedulam cernit, inhians ore arripit, voratque. Absque mora, vitam cani eripere statuunt, sed aufugiens animal, sub nocte tantum domum revertitur. Evisceratur extemplo, sed tardius! concocta jam penitus erat schedula. Inde lis FULGENTIUM inter et DRUSILLUM instituitur.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *Quis damnnum subire debeat?*

2<sup>o</sup> *Quid, si DRUSILLUS ipse schedulam ex pulmento extraxisset, et periculo tali exposuisset?*

3<sup>o</sup> *Quid, si canis DRUSILLI vel alterius fuisset?*

SOLUTIO :

794. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Quid de casu? Ecce frustra canis cruenta cæde peremptus est; ejus nece lis acerrima impediri nequit. Tibi igitur superest dirimenda, sed cuinam e contententibus favebis? An creditori? vel potius debitori? Vel utrumque damnabis ad damnnum pro dimidia parte subeundum? Ego vero puto DRUSILLUM debitorem ab omni obligatione pecuniam iterum solvendi dimittendum esse. Quidni tu quoque? Mecum sane junges manus, si rem tantisper introspexeris. Etenim DRUSILLUS syngrapham aperte coram omnibus accumbentibus exhibuit, et in media mensa ante ipsum dominum apposuit, eo vidente. Quis e convivis tunc dubitavit peractam esse solutionem? Nemo prorsus. Ergo FULGENTIUS creditor abhinc censetur debitum suum recuperasse. Ergo, si postea pereat, ipsi domino seu FULGENTIO perit. Nonne insuper in ejus manu periit? Nonne ab ejusdem cane vorata est syngrapha, dum ipse eam teneret? Ergo FULGENTIUS solus totum damnnum pecuniæ simul, et ipsius canis jacturam subire debet.

795. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Nova hypothesis adjecta casus substantiam minime mutat. Etenim ex dictis solutio censetur facta fuisse statim ac

schedula super mensam apposita est; ergo rei interitus superveniens a FULGENTIO sufferri debet: res enim perit domino, nisi culpa theologica alterius perierit; hoc autem est contra suppositum: nam, si DRUSILLUS ipse syngrapham e pulmento extraxisset, id ex animo officioso peregisset, nec proinde graviter peccasset; ergo...

796. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Neque hæc nova circumstantia casum substantialiter mutaret, et semper damnnum a FULGENTIO creditore subeundum esset. Etenim, facta solutione, totum syngraphæ periculum ipse subit, nisi alterius culpa theologica pereat. Ergo FULGENTIUS jacturam tum pecuniæ tum canis subeat. Durum! Sed est casus fortuitus, ut tot alii qui in hoc mundo sublunari accidunt.



# CASUS

## DE PROMISSIONE ET DONATIONE

### SEU

*De promissione; de donatione inter vivos; de donatione conditionata; de revocatione donationis; de donatione mortis causa; de donatione parentum.*

#### CASUS I.

##### PROMISSIO 1°.

1° ANTONIUS promittit PETRO amico suo, se illi centum nummos datum fore. Postea vero, mutata sententia, promissis stare recusat. PETRUS autem pluries in mentem ANTONII promissum revocat, sed frustra surdo canit. Quamobrem pecuniam hanc clam ab amico surripit.

2° MARCELLUS APOLLONIE 300 aureos promisit in dotem, modo ALBERTO nubere vellet. Anceps hæret aliquandiu puella. Pater ejus donum pro ea libenter acceptat. Verum MARCELLUS, mutata mente, promittit se hanc pecuniam erogaturum esse partim nosocomio, partim pauperibus, partim puero quinquenni cognato suo. Ast iterum mutat consilium, et integram summam sibi servat.

3° VICTORINUS, Sacerdos, variis amicis promittit, præter specialem memoriam in quotidianis precibus, ad aram præsertim Sacrum pro illis se applicaturum; non raro tamen in servandis promissis incuriosus est.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo obliget promissio, saltem acceptata?*

2° *Quænam acceptatio requiratur, vel sufficiat?*

3° *An, vel quomodo peccaverint præfati promissores?*

SOLUTIO :

797. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Obligatio promissionis *probabiliter* non urget, nisi sub levi et ex sola fidelitate, quia contractus gratuitus obligat tantum *per se* sub vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur urgere sub gravi, nisi promittens veram obligationem justitiæ suscipere velit, in quo casu obligabitur sub gravi in materia gravi. Sæpius promissiones simplices, ut communiter fiunt, nec ex fidelitate quidem urgent, quia in animo promittentis non est fidem suam obligare; merum igitur propositum enuntiant. *V. Comp. n. 798.*

798. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Requiritur ad promissionis obligationem, ut vere a promissario acceptata fuerit; quia nemo censetur velle se erga alium obligare, nisi iste acceptet. Potest autem aliquis per alium acceptare, v. g. per mandatarium, quia mandans et mandatarius unam personam moralem constituere censentur. Potest etiam promissarius acceptare per alium, qui ejus curam gerit, vel censetur unam personam

moralem cum eo efficere, v. g. filius per patrem, pupillus per tutorem, uxor per maritum et vice versa, Ecclesia per Prælatum, monasterium per Superiorem, etc...

799. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1° ANTONIUS peccavit venialiter contra fidelitatem tantum, si promissio vera et non merum propositum fuerit. Sed peccavit graviter PETRUS contra justitiam, pecuniam hanc surripiendo, quia caret jure in re ipsa; siquidem promissio vera, etiam ex intentione se obligandi ex justitia, non dat nisi *jus ad rem*, seu non dat nisi actionem in personam promissoris, ubi lex contractum promissionis agnoscit. Insuper, nescit PETRUS cum ANTONIUS voluerit se vere obligare necne.

2° MARCELLUS minime peccavit, pecuniam APOLLONIE promissam denequando; quia, cum ageretur de contractu oneroso, pater ejus pro ea minime acceptare potuit. Neque peccavit secunda vice, intentionem suam revocando, quia nulla acceptatio promissionum subsequuta fuerat.

3° VICTORINUS ad summum venialiter peccaret, si strictam promissionem fecisset; sed plerumque promissiones hujusmodi non sunt aliud nisi propositi manifestatio, non vero strictæ promissiones. Adde quod plerumque debita acceptatio deficit.

#### CASUS II.

##### PROMISSIO 2°.

1° GORGONIA, vetula, promittit LUCINÆ, contubernali et amicæ suæ, se ei daturam esse modicam, quam habebat, pecuniam, ut post mortem suam partim in proprios usus, partim in opera pia et præsertim in Missas eam impendat. Postulat hæc enixe, ut velit igitur testamentum in ipsius favorem condere ad tricas vitandas; promittit illa, sed, cum aliquandiu distulisset, morbo gravi correpta, sensibusque statim destituta, intestata moritur. LUCINA vero pecuniam sibi notam subducere festinat, dimidiam ejus partem in opera pia impendere intendens. Sed postea anxia quærit a Confessario an potuerit pecuniam hanc sibi arrogare: 1° ex titulo promissionis, 2° quia amicæ diu infirmæ curam habuit; 3° quia solus hæres naturalis TITIUS, frater defunctæ, est impius, et proinde Missas pro sororis anima celebrari non curabit.

2° NICASIUS, Sacerdos, BLANDINÆ, ancillæ, se aliquid daturum ad gratum animum ostendendum promittit. Alias de centum vel bis centum francis ipsi erogandis sermonem habet. Sed ecce! morte repentina ille corripitur. BLANDINA autem, promissionis memor, festinanter ad cistam advolat et 200 fr. accipit. Sed postea ab hæredibus, rem nonnihil suspicantibus, ad judicem probabiliter traducenda, quærit a Confessario an jurare possit se nihil accepisse?

HINC :

QUÆR. 1° *An LUCINA potuerit præfatam pecuniam accipere et servare ob rationes ab ipsa allatas?*

2° *An BLANDINA pecuniam a domino promissam accipere potuerit, et jurare se nihil accepisse?*